



**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 1. De potestate ordinis Sacerdotalis,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](#)

# PRIMA PARS. DE PERSONIS FO- RI POENITENTIALIS EX QVIBVS PEN- DET SACRAMENTI POENITE- N

T I M E V S V S .

**A**s personas iam attigimus esse tum Confessarium, tum peccatorem penitentem: in quorum vitroque ad istiusmodi usum legitimū, quedā ante eum, quedā in eo, & quedā post eum remaneantur, de quibus sigillatim distingui, partem hanc distinguemus quatuor libris, in quorum primo agetur de dispositione, quam talis usus praequirit in Confessario. In 2. vero de prudētia, cum qua idem Confessarius debet in executione sui ministerij procedere. In 3. portio de secreto, quod post perfecūtum penitentiae sacramentum servare tenetur: in 4. demum, de requisitis in penitente, præter ea, que commodius in sequenti parte proponuntur, cum de actionibus ipsius dicetur.

## PRIMÆ PARTIS LIBER P R I M V S .

*De dispositione, quam legitimus Sacramenti paenitentia-  
vus praequirit in Confessario.*

**C**onsistit hæc dispositio in ijs, quæ concurrent oportet in Confessario, ut censeatur Index idoneus pro foro penitentiali. Ea verò sunt,

1. *Potestas ordinis.*
  2. *Potestas iurisdictionis: quæ vel est in externo causarum, vel in interno conscientia foro: & hanc rursus, vel ordinaria, vel extraordinaria seu delegata.*
  3. *Potestas executionis, quæ est iurisdictionis in foro penitentiali, nec per censuram Ecclesiasticam, nec per casuum reservationem impedita.*
  4. *Scientia, quæ ex parte intellectus: &*
  5. *Bonitas, quæ ex parte voluntatis: in Confessario debet comes esse potestatis.*
  6. *Approbatio, quæ in Confessario ad scientiam & bonitatem, ut plurimum accedere oportet.*
- Atque de his quantum Deus dederit ad institutum nostrum accommodatè diuīti, librum hunc sexdecim capitibus (aliquot addiūt per modum appendicis) distinguemus: quorum.
1. *Erit de potestate ordinis sacerdotalis.*
  2. *De potestate iurisdictionis vniuersitatis.*
  3. *De iurisdictione in externo, siue causatum foro.*
  4. *De iurisdictione in interno, seu penitentiali foro.*
  5. *De eadem ordinaria.*
  6. *De extraordinaria seu delegata.*
  7. *De modis, quibus iurisdictione delegata obtinetur.*
  8. *De dubijs, quæ mouentur circa iurisdictionem in foro interno.*
  9. *De potestate executionis.*
  10. *De eadem impedita per censuram Ecclesiasticam.*
  11. *De eadem item impedita per reservationem casuum.*
  12. *De scientia in Confessario requisita.*
  13. *De quantitate & qualitate eiusdem scientiæ.*
  14. *De bonitate Confessarij.*
  15. *De approbatione eiusdem.*
  16. *De eo, quo debet Confessarius approbari.*
- Cui per modum appendix addetur tractatus de excommunicatione lata in Clerici vel Monachi percussorem.

### C A P V T P R I M V M .

*De potestate ordinis sacerdotalis.*

#### S V M M A R I V M .

1. *Neceſſitatis potestatis ordinis sacerdotalis in confessorio.*
2. *Potestas duplex ordinis sacerdotalis.*
3. *Quid rei sit potestas, de qua hic agitur, & unde appellantur nomine clauium.*
4. *Quomodo intelligendum sit remitti a sacerdotibus peccatis, de quæ triplice potestate peccata remittendi.*
5. *Quod confessio facta non sacerdoti, sacramentum aliud non sit.*
6. *Quod neque ea sit posita in precepto.*
7. *Quando licita sit, & in consilio confessio facta non sacerdoti.*
8. *Quando nec licita sit, nec in consilio.*
9. *Quod confessio facta non sacerdoti sit iteranda.*

**P**lura quidem adferri possunt ad ostendendum necessariam esse in Confessario potestate in sacerdotalis ordinis. (Illa habet Suarez tomo 4. disput. 24. sct. 1. sed ad nostrum institutum sufficit via Concilii Tridentini aperta definitio. sct. 14. cap. 6. & can. 10. qua statuit solos Sacerdotes esse absolutionis sacramentis ministros; neque ad alios extendi debere verba Domini Matthæi 18. Quicumque alligaveritis super terram erunt ligata & in celo, & quicumque solueritis super terram erunt soluta & in celo.) Et Ioan. 20. Quorum remissoris peccata remittuntur eis: & quorum rei inuenitis retenta sunt.] Vnde intelligitur, quod idem Suarez docet in eadem sct. 1. n. 7. & sequentib. (patetque ex receptissimo Ecclesiæ usus) neque ex dispensatione, neque ob necessitatem, penitentia sacramentum non Sacerdoti posse administrari.

*Quid & quotplex sit potestas ordinis sacerdotalis.*

#### S E C T I O I .

**V**T autem intelligatur quænam sit potestas ordinis sacerdotalis, obseruandum est, quod ut duplex distinguitur corpus Christi: unum naturale, quod est verum illud ex beatissima Virgine natum, inuisibiliter in Sacramento altaris, & visibiliter in celo existens alterum cuiuslibet seu mysticum, quod est Ecclesia, & cœrufus fidelium: ita etiam duplice distinguuntur potestatem ordinis sacerdotalis (quam divisionem pluribus per se quiput à Turrecremata lib. 1. de Ecclesiâ 93. 94. & 95.) viam in corpus Christi verum: ad ipsum scilicet confidendum in sacro ancta Eucharistie consecratione, & offendendum sacrificandumque alteram in corpus Christi mysticum; nimimirum ad Sacraenta fidelibus administranda in peccatorum remissionem, & diuinæ gratiæ ademptionem. Illam Christus discipulis suis contulit Luca 22. dicens: Hoc facite in meam commemorationem:] Hanc verò verbis illis, quæ ex Concilio Tridentino habita sunt, num. 1. non ad alios, quam ad Sacerdotes extendendam esse.

Atque priorem Sacerdotes accipiunt in sua ordinatione, cum Episcopus eis tradens calicem cum vino aqua mixto, superposita que cum pane patena dicit: Accipite potestatem sacrificandi pro viuis & mortuis.

Posteriorem verò, cum interpolitus quibusdam: idem Episcopus ponens manus super capita eorum, inquit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remissoris peccata remittuntur eis, &c. ] hæc que est, de qua in presentiarum agitur.

Relictis autem extensis (de quibus videri possunt Sotus in 4. distinctio 20. questione 1. artic. 1. & Suarez tomo 4. disput. 16.) Theologorum, Scholasticorum discussione: ad institutum nostrum sufficiet de ea notasse paucis, nihil aliud esse in re

quam sacerdotalem characterem ( prout in eadem dispi-  
tissimis. Sicut. notat ) quo nomine significatur spiritualis quædā  
& inde cibalis qualitas impressa ait. Sacerdos in sua or-  
dinacione; quæ sit quidem una in se, sed per diuersos respe-  
ctus ad diuersa officia, dicatur plures potestas; nempe una  
conficiendi Eucharistiam, seu transubstantiandi panem in  
corpus Christi verum, & vinum in sanguinem; & alteram ad-  
ministrandi Sacramentum, que est huius loci propriæ; non qui-  
dem simpliciter, sed quatenus Institutio ad remittendum pec-  
cata per administrationem Sacramentum penitentia.

Ratio nominis clauium, quo significatur huius spectans po-  
testas ordinis.

## S E C T I O N . II.

**S**ic autem accepta, metaphorice significatur nomine clau-  
ium ( de qua re pluribus Sotus loco citato, & Suarez in  
sect. 4.) quia sicut per clavem tollitur obseculum introitus  
in domum, id est, re stratur ianua, ut in domum pateat in-  
gressus; sic per talen potestatem auferetur ab homine pecca-  
tum, quod excludit ipsum ab ingressu regni cœlorum. Ideo  
ve ò plurali numero idem nomen communiter usurpatur,  
quod talis potestas dea in se includat; utrum in formandi se  
de fato penitentis, examinandi ipsum de suis pecca-  
tis: habet enim Confessarius eam potestatem in suum peni-  
tentem, ut possit ipsum obligare ad manifestandum sui  
peccata, tanquam iudex reum; & quæ potestas dicitur clavis  
scientia. Alteram ve ò ferendam in ipsius sententiam, abso-  
lviendo à peccatis, vel remittendo peccata; per negationem  
scilicet ab solutione, si se exhibeat illud indignum, aut per im-  
positionem penitentie, ad quam accepta am implendam  
manet obligatus. Hæcque dicitur clavis potestas. Quæ cū  
ita sunt, tales claves apte comparantur cum ciuii potestate  
iudicis, quæ potest & examinare reum, & sententiam in cum  
profere. De illis in extrahag. I. cap. 22. Quia quorundam. De  
verb. signif. 5. Quod autem, mentio est expressa, cum appro-  
batione definitionis vñ trit. Clavis est specialis potestas li-  
gandiarumque solvendi, qui Ecclesiasticus iudex dignos reci-  
pere, & indignos excludere debet à regno.

Nu. 4. Iam quod dictum est per illas à Sacerdotibus peccata re-  
mitti, sic accepit debet, vt non negemus remissionem pec-  
cariorum esse à solo Deo, tanquam à causa omniuino principali  
& independente, ipso dicente I. cap. 43. Ego ipse sum qui de-  
leó iniquitates tuas propter me. ] Item esse à Christo, tan-  
quam à causa meritoria ex definiitione Concilii. Tid. 5. sect. 6. cap.  
7. de qua re Bellarm. lib. 1. de iustificatione cap. 2. in tomo 3. con-  
trouersiarum. ) Sed rautem tribuum Sacerdotibus mini-  
steriale in potestatem, qua ad ipsam peccatorum remissio-  
nem concurrant; non quidem ad instar maius cum anima  
ad scribendum concurrentis, ut instrumentum coniunctum;  
sed ut instrumentum exterrum per applicationem Sacra-  
mentiad peccatorem; nimis ad instar calamis concurrentis  
ad scriptioñem, per applicationem atramentia ad papili-  
um. Itaque, ut bene norum est à Soto in 4. dist. 20. que-  
stio. 1. artic. 1. conclu. 1. triplex distinguitur potestas remit-  
endi peccata vna primaria ac nativa, que propria est Dei, cui  
soli naturaliter conuenit posse peccata dimittere, iuxta illud  
an. ex I. a. citatum, & illud Luce. 5. Quis potest peccata di-  
mittere, nisi solus Deus? ] Quod & ratio confirmat; quia vt  
peccata de se, sunt Dei officia, iuxta illud Psalm. 50. Tibi soli  
peccavi; sic de se, Dei est illa remittere.

Altera est, quæ dicitur potestas excellentie propria Christi  
hominum; peccata ( pro quibus abundantissime satisficerit )  
remittentis cum voluerit, iuxta illud Luce. 5. Ut scatis, quia si  
filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata,  
at Paralyticus. Tibi dico surge, &c. ] Tertia est quæ dicitur  
potestas ministerialis propria Sacerdotum, tanquam mini-  
steriorum Christi, qui postquam factus homo genus huma-  
num redemit, eidem volunt consolare per homines à se con-  
stitutos iudices, suaque autoritate munitos, ad quos pec-  
catorum nostrorum causas referemus, & ipsi nos indicare  
absolviendo, vel ligando; per ipsorumque iudicium emendare-  
mus. De quibus plura dicere non attinet ad no-  
strum institutum; sed potius pro praxi quædam notare, quæ  
infuriantur ex proposita necessitate potestatis ordinis in  
Confessario.

De confessione facta non Sacerdoti.

## S E C T I O N . III.

**I**nferitur ergo 1. ex defectu iudicis Confessarij non censeri  
Sacramentalem confessionem eam, quæ fit non sacerdo-  
ti, etiam si talis sacris ordinibus is initiatus sit: multo que mi-  
nus factum simpli clerico, aut laico, vel secundum quantum  
esset Abbas, cui sua monialis confiteatur: ex cap. Nu-  
mero 5. de penitentia & remiss. quia, qualicumque dignitate pol-  
leantales personæ, ea est clavis, à Christo in Ecclesia reliquis,  
ad apertum auditum in cœlum per remissionem pec-  
cariorum. Quam rationem in memorato e. Summus Ponti-  
fex artig. inquietus: Licit Beatissima virgo Maria dignior  
& excellentior fuerit enatus Apostolis; non tamen illi, sed  
isti Dominus clavis regni cœlorum commisit: ] Quod  
vero confessione facta non Sacerdoti apud veteres vñ  
aliquem fuisse inveniatur, non est, quod talis confessio tan-  
quam sacramentalis usurparetur ad consequendam gratiam  
quæ per sacramentum confertur; sed tantum ut penitentis  
refratum facere, se paratum esse confiteri sacramentaliter,  
si presentem haberet confessores. Videri potest Sotus in  
4. dist. 8. que. 4. art. 1. conclu. 3. Inferitur 2. totum illud quod  
habetur in principio cap. 1. de penitentia, dist. 6. si deest Sa-  
cerdos, confiteatur proximo. ] Tum altius quodvis eiusmo-  
di, quo videatur iniungi confessio facienda non Sacerdoti, mi-  
nimè continere præceptū, etiam si ad articulum mortis refe-  
ratum: sed tantummodo confitum, prout ad principium  
eiusdem cap. 1. numero 7. Nauar. docet. quia non invenitur  
articulus præceptum, sive diuinum, sive humanum de a-  
lia confessione, quam de sacramentali. Ideoque datum esse,  
asserendum non est argumento cap. Legatur 2. que. 2. Sic  
quæ omnes sentire Nauar. ipse annotat in Enchir. cap. 2. n. 4.

Dubium autem est quod mouet: Franciscus à Victoria  
De facram. num. 143. & Sotus loco citato, si præceptum non  
sit, an saltem sit licet ac salutare confitum, confiteri non  
Sacerdoti. Explicatur vero tribus propositionibus. Prima  
est, nec licet, nec salutare confitum esse, non Sacerdoti  
confiteri eo animo, vt det absolutionem à peccatis; quia ob-  
magnum irreverentiam sacramenti gravis sacrilegi crimen  
est, vt Nauar. bene notat ad cit. princip. num. 7. 8.

Secunda est, licet ac salutare confitum esse, existentem  
in articulo mortis, cui copia Confessarij deest, confiteri pe-  
ccata sua fideli amico; non vt absoluatur ab eo, sed vt ei pro-  
pter Christum se humiliet, exciterque in se pudorem vel ab  
illo fuitur confitio, ac disponatur ad contradictionem, & satis-  
factionem. Deoque commendetur. Probatur tum per cita-  
ta verba cap. 1. de penit. dist. 6. Si deest Sacerdos, confiteatur  
proximo. ] Tum per cap. Fures, de furtis, vbi vulnerati furis  
confitio facta Diacono sic commendatur, vt ratione illius  
statutur non esse negandum illi communionem ( subintelli-  
ge cum glossa ) sive Eucharistia, sive sacra sepulture: Tum  
demum per vñ Ecclesie, qui frequentior olim fuit, quam  
nunc cum videtur tantum vigore in naufragio, vt attrigit à  
Victor. loco citato. Quod si quis obiectat id esse diffamare  
seipsum, quo d illicium est: idem à Victoria bene respondet,  
negando diffamationem sui esse, quando propria peccata  
declarantur, ad auxilium contra illa obtinendum.

Tertia propositio est non esse licet nec salutare confi-  
tum confiteri non Sacerdoti; ne quidem in articulo mortis,  
nis si sit persona prudens, secretique rex, & quæ profu-  
tatur, nec obsoluta. Huius priorem partem Nauar. ad idem  
principium num. 79. probat: quia non magis licet detrahere fi-  
bi, quam detrahere alteri ( quod summa iniquitas est. cap.  
Summa iniquitas 6. que. 5. ) sicut non licet magis vitam  
suam, quam alienam in discrimen vocare. At confiterit  
laico, qui non proficit, aut non est seruatur secretum,  
nihil aliud esset, quam sibi detrahere. Posteriorum partem  
vero probat per cap. Hoc videtur 22. que. 5. ex quo habetur  
cum non detrahere alteri, qui crimen illius, etiam occultu-  
m, indicat ei, qui proficit potest, & vero simile est quod ob-  
futurus non sit. Quare nec sibi detrahet is, qui peccata sua con-  
fitebitur alteri, qui proficit, nec obserbit. Ex quo eodem Nauar.  
in Enchir. cap. 21. num. 4. adverte, iuxta communē Theo-  
logorum sententiam, peccatum illius qui non Sacerdoti con-

fite-

sicutur absque necessitate, cum possit confiteri Sacerdoti: aut cum necessitate quidem, sed animo accipiendo ab eo sacramentalem absolutionem, aut detegendo imprudenter mortalia peccata: perinde mortale esse, ac fuerit aliquod aliud crimen committere, ad obtine adam a Deo peccatum suorum veniam, si quidem sciat absolutionem sacramentalē tentatam a non sacerdote, sacrilegam esse; aut si sciat gravem peccatum esse diffamare seipsum, & detergit nihilominus in tali confessione peccata, de quibus non potest se diffamare sine peccato mortali: ob grandem sui lesionem inexcusabilem. Quod si tale quid faceret, bona simpliciter fide, credens esse licitum, excusaretur per ignorantiam: præsentia cum agat id, in quo nemini nocet, nisi sibi satisfaciendo plusquam debeat suo proposito; prout bene nota idem Naustrus ad memoratum principium num. 18.

Nu. 9.  
Postremo ex eadem necessitate potestate ordinis inferatur, quod idem auctor habet in sequentium. 83. eum, qui tempore necessitatis est confessus peccata sua mortalia non Sacerdoti, teneri denuo confiteri Sacerdoti habenti sufficiemtē potestatem, peccateque mortali et non confitendo eo tempore, quo tenebat ex precepto, non minus quam si non fuisset modo confessus. In quo omnes conuenient, idem etiam annotat in Enchir. cap. 21. num. 41. Et ratio est in promptu, quia nondum subiecta illa sua peccata clauibus Ecclesie, iudicio Sacerdotis, sicut sacramentalis confessio in precepto posita requirit.

## C A P V T S E C V N D V M.

De potestate iurisdictionis.

S V M M A R I V M.

10. In quo confitat iurisdictione.
11. Iurisdictione alia temporalis, alia spiritualis.
12. Spiritualis quedam est in foro externo, & quedam in interno.
13. Iurisdictione in foro externo esse potest sine potestate ordinis; non item iurisdictione in foro interno.
14. Iurisdictione in foro interno, in quo confitat: qualiter adhuc eadem differat a iurisdictione spirituali in foro externo.

Nu. 10.  
Prestas iurisdictionis, ut domen ipsum indicat, est ea, qua quis praestit iuricundo; ideoque consistit in prælatione super aliquam multitudinem, aut etiam super aliquam certam personam, ut regatur, & ut secundum leges iustitia ei administretur.

Potestas iurisdictionis multiplex.

S E C T I O P R I O R.

Nu. 11.  
D Uplex autem est potestas iurisdictionis, una temporalis, seu secularis, ad tempore bonum ordinata, qualis est civili Regum, & aliorum Principum, instituta ad reip. pacem. Altera spiritualis, qualis est Ecclesiastica in Papa, & in alijs Ecclesiasticis gerentibus curam animarum, ad quarum fidem ea ordinatur. De qua diuisione pluribus à Turrecrem. lib. 1. de Ecclesia cap. 87. & aliquot sequentibus. Spiritualis adhuc duplex est: una ad regendum populum Christianum in externo caufarumque foro; altera ad curandum eundem populum in interno penitentiale foro; per iliam potest quis in definiendis causis, quæ inter ipsius subditos controvenerunt, ius dicere, sententiam ve ferre, etiam in iuris; unde coercitiuam dictam esse nota. Turrecrem. in lib. 1. de Ecclesia ca. 96 cond. I. Per hanc vero in causa Dei offendit, facta à subdito tuo confezione, potest illum aboluere à culpa, & obligare ad fatus actionem, non tamen in iuris, quia nemo, nisi volens, suscipit penitentia sacramentum, ad quod eiusmodi de prolatio sententiae pertinet: ideoque voluntaria esse debet, non modo ex parte proferentis, sed etiam ex parte eius, in quem profertur. De hac etiam diuisione pluribus à Turrecrem. in cit. c. 96. & sequentibus.

Discrimina inter iurisdictionem in foro interno, & iurisdictionem spiritualis in foro externo.

S E C T I O P O S T E R I O R.

Nu. 12.  
Potest autem prior illa, sine potestate ordinis in prædicti cap. descripta, & esse, & exerceri, prout patet ex Archidiaconis, & alijs, qui in Prelatos instituantur, antequam facti sint Sacerdotes; posterior vero hec non potest. Immo eti

alij alia dicant, de quo legendus est Suarez in D. Thomam tomo 4. disput. 16. sect. 3. ) videtur habitu altere apitudinale eadem esse cum potestate ipsa ordinis; cui tamen actualliter superaddat applicationem maturi circa quam exerceatur siue (quod idem est) illa predito, datos esse subditos in foro conscientia absoluendos & ligandos. Hocque significat Sotus in 4. distinct. 20. quest. 1. art. 1. col. penult. cum sic inquit. Potestas clauium non dicit nisi meram potentiam; iurisdictione autem non est propriæ potentia, sed applicatio materie adagens, ut sequatur actio; ne mpe applicatio subditorum ad sacerdotem, ut sequatur absolutione, que scilicet alioquin sequeretur; sicut nec fieret consecratio corporis Christi super panem; nec in vacuo fieret calefactio, quia nisus ignis in eo existens vim habet; calefaciendi, quia materia non essere admota. Unde, ut idem author addit, dum Sacerdoti conferatur beneficium curatum, non datur ei potestas clauium, quam per Characterem Sacerdotalem iam habebat; sed applicatur ei populus, in quem illam exerceat, eaque applicatione facta ipsa est propriæ index. Quæ est etiam Naustrus doctrina ad cap. Placuit de penitentia dist. 6. num. 46. vbi eam illustrat exemplo Identia Principis, quam medico dat vniuersaliter sua parte; superaddit enim eidem articulo, non quidem vim aliquam operandi; sed tantum applicationem materie circa quam operetur, hoc est, populum, cuius curationi incumbat.

Nu. 14.  
Ex qua doctrina intelligitur duplex adhuc esse inter easdem spirituales iurisdictiones discribentur. Una est, quod per posterioris collationem, duntaxat subiectum materia, in quam exerceatur clauium potestas ad eam in susceptione ordinis sacerdotalis: per collationem vero prioris, obtineatur prelato, quia quis in eos quibus praeficitur possit in extero, publico que foro, de ijs, quæ ad spirituale regimen ipsorum pertinent, sententiam proferre etiam in iuris: quod quidem additur, quia ad talis sententia validitatem non requiritur voluntas ei submittendi, sicut ad validitatem sententiae, quæ in interno foro profertur, prout iam num. 12. attingimus. Alterum discribent est illud, cuius memin' t' Gabrial in 4. distinct. 18. questio. 2. art. 2. conclusio. quod prior potestas sit arbitrandi inter hominem & hominem; dicatur que gladius, quia subditos poenis coercet; posterior vero sit arbitrandi inter Deum & hominem; & dicatur clavis, eo quod adiutum aperte ad coelum, quæ sola quidem ad usum Sacramenti penitentiae necessaria est; quia tamen in eodem usu peder ex priore, per quam dari, limitari, tolli, aut suspensi potest; non erit abs re incidenter de eadem paucis dicere.

## C A P V T T E R T I V M.

De spirituali iurisdictione in foro externo.

S V M M A R I V M.

15. Actus varij, ad quos istius modi iurisdictione extenditur.
16. Totalis plenitudo illas est in Papa.
17. In Prelatis alijs est limitata.
18. A Christo transusa est in D. Petrum, & ipsius successores.

S E C T I O N I S T A T I L E in presentiarum.

Nu. 15.  
Primum est, quod ea se extendat ad actus varios; qui sunt; visitare subditos, inquirere in illorum mores, & punire, legatos mittere, contumaces rebelleisque accerere, & illorum compescere audaciam, ad concilium vocare eos, quorum interest ad ecclesie determinata in Concilio confirmare, pena Ecclesiastica coercere delinquentes, ut excommunicare; & à talibus poenis, ut ab excommunicatione aboluere: casus referuare, & referuari relaxare, dare indulgentias, dispensare in voto & in iuramento, hereticos & scripta ipsorum condemnare, scripta antequam in lucem edantur examinare & iudicare num sanam, an pestiferam doctrinam continent, quive sint arcibili fidelis exponere, quæ sint canonice scripture restati, dubia circa fidem & circa religionem orientia soluere, ritus & ceremonias ordinare, constitue Episcopos & alios Ecclesiæ ministros, beneficia Ecclesiastica distribuere, & de bonis temporalibus ad ecclesiam pertinentibus disponere, aliquem vita functionem in Catalogo Sanctorum cum Christo regnantium scribere, ordinare